



De significatione vocis “divinae catastrophes” in hymno qui a verbis *Iam toto subitus vesper* incipit adnotationes quaedam

The Meaning of the Expression “divina catastrophe” in the Hymn *Iam toto subitus vesper*

Dnusz Tadeusz Gacia¹

Abstract: The author of a study written in Latin establishes the meaning of the expression divina catastrophe in the breviary hymn for the feast of the Seven Sorrows of the Blessed Virgin Mary *Iam toto subitus vesper eat polo*, written by Callisto Palombella. He argues against contemporary translations of the hymn, which translate the word catastrophe in an anachronistic way, disregarding the narrower semantic scope of the word at the time of the hymn’s composition, and interpret it as God’s passion, as God’s suffering. Meanwhile, the word catastrophe meant at the time – as in ancient drama – a sudden change of situation, a subversion of order, a turn of events, which makes us see the death of Christ as *totius ordinis eversio* – a revolution in which all bewildered nature also participates.

Keywords: breviary hymns; modern and contemporary translations; divina catastrophe

1. De hymno ipso eiusque auctore

Inter hymnos liturgicos aetate quam Barocum vocant compositos, ille qui a verbis *Iam toto subitus vesper* incipit exstat². Quem composuit Callixtus³ Palombella, vir doctissimus. Idem Callixtus Maria (in saeculo

¹ Rev. Tadeusz Gacia, doctor habilitatus, universitatis professor, moderatoris Cathedralae Philologiae Latinae in Instituto Studiis Litterarum Provehendis in Facultate Scientiarum Humaniorum in Catholica Universitate Lublinensi Ioannis Pauli II officio fungitur, Polonia; e-mail: tadeusz.gacia@kul.pl; ORCID: 0000-0002-1836-9506.

² *Breviarium Romanum ex decreto SS. Concilii Tridentini restitutum Summorum Pontificum cura recognitum cum textu psalmorum e versione Pii Pp. XII auctoritate edita totum. Editio typica*, Typis Polyglottis Vaticanis [1961], p. 1180-1181. Cf. etiam: <http://hymnarium.de/hymni-breviarii/hymnen/proprium-sanctorum/334-iam-toto-subitus> (aditus 10.01.2025).

³ Hacce nominis forma utor, etsi in nonnullis scriptis altera quoque forma adhibetur, scilicet Callistus.

Vincentius Antonius) natus est die 5 m. Februarii anno millesimo sescentesimo octogesimo septimo, anno autem millesimo septingentesimo decimo ad presbyteratus gradum in Ordine Servorum Mariae est promotus. Totius Ordinis procurator generalis idemque historiae ecclesiasticae in Universitate Sapientiae in Urbe magister et SS. Rituum Congregationis consultor, anno millesimo septingentesimo undequingentesimo episcopus Terracinensis-Setina-Privernensis in Latio creatus est. Mortuus est die 3 m. Maii anno millesimo septingentesimo duodesexagesimo⁴. In illo, de quo diximus, Ordine anno millesimo ducentesimo tricesimo tertio condito, Beata Virgo Maria, titulo Perdolens seu Septem Dolorum invocata, uti Patrona, peculiari devotione colebatur. Eidem Ordini anno millesimo sescentesimo duodeseptuagesimo a Clemente Pp. IX concessum est festum Septem dolorum Beatae Virginis, dominica tertia m. Septembris celebrandum, quod plures dioeceses postea receperunt, quodque millesimo octingentesimo decimo quarto anno Pius Pp. VII universae Ecclesiae Latinae praescripsit. Quod festum anno millesimo nongentesimo octavo ad gradum duplicem secundae classis S. Pius Pp. X evexit, dein diem 15 m. Septembris ad peragendum festum assignavit. Septem autem qui recoluntur dolores Virginis ita numerantur: prophetia Simeonis, fuga in Aegyptum, amissio pueri Iesu duodennis, occursus cum Iesu crucem baiulante, statio ad crucem, contemplatio vulnerum Iesu post mortem, sepultura eius⁵.

⁴ Cf. paginas retiales <https://www.gentedituscia.it/palombella-callisto-maria/> et <https://www.catholic-hierarchy.org/bishop/bpalomb.html>; (aditus 10.01.2025). Sepultus in ecclesia cathedrali Setina hacce inscriptione honoratus est: D.O.M./ CAL-LIXTUS. MARIA. PALUMBELLA/ EX. ISCHIA. AQUENSI/ ORDINIS. SERVORUM. B.M.V./ OLIM. SAC. RITUUM. CONG. CONSULTOR/ ET. IN. ROM. ARCHIGYMN. HIST. ECC. PROFESSOR/ POSTEA. EPISCOPUS. SETINUS/ MORUM. INTEGRITATE. ET. SUAVITATE OMNIBUS. CARUS/ DOCTRINA. PRAESTANTISSIMUS/ DE. CLERICORUM. SEMINARIO/ OPTIME. MERITUS/ HEIC. SEPULTUS. EST/ VIXIT. ANNOS. LXXI. MENSES. FERE. TRES/ OBIIT. V. NON. MAIL. ANNO. A PARTU. VIRGINIS/ MDCCLVIII; cf. *Archivio capitolare della cattedrale – Sezze, Crotonotassi episcopale; Bishop Callisto Maria (Vincenzo Antonio) Palombella, O.S.M.†*, in: <http://www.archiviosezze.it/cronotassi.php> (aditus 10.01.2025).

⁵ *Enchiridion liturgicum complectens theologiae sacramentalis et dogmata et leges iuxta novum codicem rubricarum*, ed. P. Rado, t. 2, Romae Friburgi Brisg. Barcinone 1961, p. 1355. Addendum est aliud quoque festum Septem dolorum Beatae Mariae Virginis feria sexta post Dominicam I Passionis celebratum esse, cuius obiectum autem non modo dolores, verum et compassionem cum Virgine perdolente fuisse. Quod tamen festum in calendario liturgico a S. Ioanne Pp. XXIII paululum reformato

Revertamur nunc tamen ad Callixtum Palombellam, qui non modo hymnum, qui a verbis *Iam toto subitus vesper* incipit, sed etiam alterum, cuius prima verba sunt *O quot undis lacrimarum*, festo illo contexuit dicendum⁶. Hunc, tetrametro trochaico scriptum, ad Matutinum composuit⁷, illum, de quo hic nobis dicendum est, in Laudibus primum, postea vero in Vesperis in hoc festo dicendis usitatum⁸, composuit metro asclepiadeo, quod tribus versibus asclepiadeis cum verso glyconeo coniunctis constat⁹. Cuius quidem hymni, sex strophis constante, tenor de verbo ad verbum sequitur:

Iam toto subitus vesper eat polo,
Et sol attonitum præcipitet diem,

anno millesimo nongentesimo sexagesimo ad commemorationem reductum est, quia idem officium eademque missa die 15 m. Septembris dicebantur. Cf. *Enchiridion liturgicum*, p. 1352. Post Concilium Vaticanum II, scilicet in calendario Romano anno millesimo nongentesimo undeseptuagesimo composito, festum feria VI post Dominicam I Passionis iam non exstat, die autem 15 m. Septembris memoria Beatae Mariae Virginis Perdolentis celebratur.

⁶ Praeterea composuit orationem *De S. Juliana Falconeria virgine Florentina* inscriptam, vide: *De S. Juliana Falconeria Virgine Florentina Tertii Ordinis Servorum B.M.V. Fundatrice Oratio Romae habita in Templo S. Marcelli XIII Kal. Iulias anno 1738 ad Eminentissimos, ac Reverendissimos S.R.E. Cardinales a F. Callisto Maria Palombella, sacrae theologiae magistro, Ordinis Servorum ejusdem B.M.V. Procuratore Generali necnon S. Rituum Congregationis Consultore, Romae 1738.*

⁷ Textum hymni aliasque notitias utiles facile invenies in pagina retiali <http://www.hymnarium.de/hymni-breviarii/hymnen/proprium-sanctorum/335-o-quot-undis> (aditus 10.01.2025).

⁸ Cf. W. Danielski, *Hymny maryjne dawne i współczesne w odnowionej Liturgii Godzin*, „Roczniki Teologiczno-Kanoniczne” 26/6 (1979) p. 64. Legere potes brevissimas mentiones, quas de hisce duobus hymnis in articulis suis fecit E. Breza: *Epitety NMP w „Hymnach kościelnych”*, in: *Język komunikacji*, Nr 2, red. G. Majkowski, Częstochowa 2012, p. 20-27; E. Breza, *Syn Boży w hymnach kościelnych*, „Język-Szkółka-Religia” 8/2 (2013) p. 32, 38, 43; E. Breza, *Trójca Święta w Hymnach kościelnych i w pieśniach kościelnych*, „Poznańskie Studia Teologiczne. Seria Językoznawcza” 20/2 (2013) p. 80. In articulis hic memoratis auctor menda fecit scribendo, nam in versu a quo hymnus *O quot undis lacrimarum* incipit, loco nominis numeralis *quot* profert vocabulum *quo* vel *quod*.

⁹ Tres versus strophae asclepiadeae quattuor pedibus constant, quartus, scilicet glyconeus, pedibus tribus, qui sunt spondeus uti primus, choreus vel iambus uti alter, dactylus uti tertius. Cf. v. gr. paginam retialem <https://www.encyclopedia.com/religion/encyclopedias-almanacs-transcripts-and-maps/iam-toto-subitus-vesper>. Cf. L. Kotyński, *Metryka hymnów brewiarzowych*, RBL 11/4 (1958) p. 312-313.

Dum saevae recolo ludibrium necis,
Divinamque catastrophem.

Spectatrix aderas supplicio parens,
Malis uda, gerens cor adamantinum:
Natus funerea pendulus in cruce
Altos dum gemitus dabat.

Pendens ante oculos Natus, atrocibus
Sectus verberibus, Natus hiantibus
Fossus vulneribus, quot penetrantibus
Te confixit aculeis!

Heu! sputa, alapæ, verbera, vulnera,
Clavi, fel, alæ, spongia, lancea,
Sitis, spina, cruor, quam varia pium
Cor pressere tyrannide!

Cunctis interea stas generosior
Virgo martyribus: prodigio novo,
In tantis moriens non moreris parens,
Diris fixa doloribus.

Sit summæ Triadi gloria, laus, honor,
A qua suppliciter, sollicita prece,
Posco virginei roboris æmulas
Vires rebus in asperis. Amen.

Iam in tertio versu primae strophæ, quae totius hymni quasi expositio exstat, apparet subiectum lyricum quod dicitur, nam legimus haec: *Recolo saevae ludibrium necis/ Divinamque catastrophem*, idque iterum apparet in ultima strophæ, quae doxologiam cum precatione stricte coniunctam efficit: *Sit summæ Triadi gloria* etc. et postea subiungitur: *posco virginei roboris æmulas/ Vires* etc. In ceteris autem strophis quae passionis Christi in cruce pendentis eiusque Matris compassionis relationem efficiunt, ipse auctor vel quem in carminibus narratorem appellamus, Matrem dolentem alloquitur, secunda persona verbi, *aderas* nimirum in tempore praeterito imperfecto et *stas* et *moreris* in tempore praesenti utens. Nec de his tamen hoc loco

disputabimus. Attendere enim animum volumus ad vocem *divinae catastrophes* quarto primae strophae versui intextam. Nomen substantivum *catastrophe*, cum praecedenti adiectivo *divina* coniunctum et in accusativo casu positum, constituit huiusce enuntiati obiectum. Ea quidem vox, valde miranda, immo etiam stupenda, quae oxymora dici potest vel in poesi sui generis est *hapax legomenon* – ut aiunt – quid significat? Operam dabimus instabimuque solliciti ut ei quaestioni pro viribus nostris detur responsum.

2. Quo modo vox *divinae catastrophes* in variis conversionibus hymni reddita sit

Videamus igitur quo modo eam, de qua dicitur, vocem ex Latino in alias huius temporis linguas interpretes verterint. Ecce tibi aliquot eiusmodi sunt in promptu versiones, duae scilicet Anglicae, duae Hispanicae, duae Italicae, singulae autem Francogallica, Germanica, Polonica, immo etiam Vasconica, quae hoc tempore in interreti invenire facillime potes. Ex quibus duae Hispanicae versiones, duae Anglicae, una Italica unaque Polonica libris publici iuris factis sunt interiectae, ceterae autem insertae iuxta textum Latinum hymnorum quibusdam paginis retialibus officio, quod in usu antiquiore persolvitur, dicatis.

Ex vulgaribus versionibus hymni veterrima est illa Hispanica, post annos undeviginti ferme, qui Callixto Palombella defuncto transierunt, Madriti typis edita, scilicet libro Brevarii Romani hymnos in Hispanicum idioma versos complectenti inserta, cuius tenor autem haec est:

Obscurezcase el mundo de repente
Retire el sol del día los candores
Al referir las burlas y dolores,
La muerte mas cruel de un Dios paciente¹⁰.

Hac in versione, sicut videri potest, loco Latinae vocis *divinae catastrophes* inest longior dictio, quae ad crudelissimam Filii Dei mortem spectat.

¹⁰ *Poesia sagrada: himnos del breviario romano traducidos al idioma español en rigurosa consonancia por D. Juan Baptista Sorazabal...; añádese el Ritmo de Santo Thomás de Aquino a la sagrada eucaristia, y la Oracion del Papa Urbano VIII, para la accion de gracias despues de haberla recibido*, Madrid 1777, p. 291-292.

Secundo decennio undevicesimi saeculi, opera et industria Ioannis Dominici Giulio, inter poeticam versionem omnium hymnorum Ecclesiae in lucem prolata est Italica versio, quae tamen – ut patet – paraphrasis potius est nuncupanda.

Ah si stenda un nero velo
Sulla terra, il sol s'asconda;
E di luce invece il cielo
Sparga cupa oscurità.

Fugga il giorno e lo spavento
Da noi guidilo lontano,
Cupra notte un argomento
Di cotanta atrocità.

Rupi scossevi per duolo,
Tombe aperte, e per l'orrore
Vel squarciato allorchè il suolo
Al gran caso traballò.

Voi mi date i tristi accenti
A ridir l'amara istoria
D'un Dio morto tra in tormenti,
E il furor, che il conculcò¹¹.

Anglica versio libro cui titulus *Lyra catholica*, saeculo undevicesimo medio typis edito, inserta, haec est:

Come, darkness, spread o'er Heav'n thy pall,
And hide, O sun, thy face;
While we that bitter death recall,
With all its dire disgrace¹².

¹¹ G.D. Giulio, *Alla maestà di Vittorio Emanuele Re di Sardegna versione poetica di tutti gl'inni della Chiesa secondo il Breviario Romano, di alcune antifone della SS. Vergine, delle quattro sequenze della messa coll'inno Gloria in excelsis Deo*, Torino 1816, p.143-146.

¹² *Lyra Catholica: containing all the hymns of the Roman breviary and missal, with others from various sources*, tr. E. Caswall, Novi Eboraci 1851, p. 218-219.

Vox *bitter death* congruit voci *saevae necis* in Latino hymno adhibitae, vox *dire disgrace* loco Latinae vocis *divinae catastrophes* hac in versione usurpata dedecus quoddam significat, probrosum dirumque. Altera Anglica versio, libro hymnos breviarii et missalis complectenti inserta, haec autem est:

Now let the darkling eve
Mount suddenly on high,
The sun affrighted reave
His splendors from the sky,
While I in silence grieve
O'er the mocked agony
And the divine catastrophe¹³.

Si vetustiore et recentiore Anglicam versionem, scilicet tertium quartumque illius de qua dicitur strophae versum comparaverimus, dictiones *mocked agony* et *divine catastrophe*, aliter redditas perfacile cernemus. Quarum prior Latinae dictioni *saevae ludibrii necis* congruit, altera in Anglico sermone voci Latinae, quaemadmodum manifesto patet, accuratissime respondet. Nunc ergo, inquirendum est quid Anglicum vocabulum *catastrophe* generatim significet. Id nomen substantivum Anglico idiomate congruit latae provinciae vocabulorum, veluti *disaster*, *calamity*, *cataclysm*, nostra aetate saepissime usurpatorum, in dramate autem significat circumstantias quae actionem eius ad conclusionem ducunt¹⁴. Attamen in commentatione textui translato adnexa haec legi possunt: “Now let the evening come suddenly upon the whole heavens, and let the sun dispatch the astonished day, while I recount the spectacle of the cruel death and the divine tragedy”¹⁵; ex quibus evenit ut Latina vox *divinae catastrophes* Anglicae voci *divine tragedy* aequiparari possit. Inde sequitur vocem sive *catastrophe* sive *tragedy* quid tragicum quidve crudele significare.

Transeamus nunc ad alias vernaculas hymni versiones. In una ex Italicis versionibus statim invenies vocem *catastrofe* Latinae voci *catastrophes* simillime sonantem.

¹³ *The Hymns of the Breviary and Missal*, ed. M. Britt, New York 1922, p. 286-287. Quem librum in reti etiam invenies: <https://www.cathcorn.org/hotbam/131.html> (Translation by Monsignor Henry).

¹⁴ <https://www.dictionary.com/browse/catastrophe> (aditus 10.01.2025).

¹⁵ *The Hymns of the Breviary and Missal*, p. 287.

La notte s'affretti a calare per tutto il cielo,
e il sole acceleri lo sbigottito giorno,
mentre commemoro le ignominie della morte crudele,
e la catastrofe d'un Dio¹⁶.

In glossario Italicae, perinde ac in Anglicae linguae, vox *catastrofe* primum significat calamitatem vel infelicitatem, exempli gratia terrae motum, postea etiam conclusionem dramatis in antiqua tragoedia Graeca¹⁷. Dicendum est hoc ipsum de recentiore Hispanica versione, quae sequitur:

Tienda pronto el crepúsculo sus sombras sobre la tierra,
y que el sol abrevie el día,
dejándolo pasmado, mientras yo evoco la ignominia
de la pasión de Dios y su catástrofe¹⁸.

Vox *catástrofe* hic etiam significat magnam calamitatem, caedem, necem, destructionem, infelicitatem et tantummodo secundo in loco ultimam poematis dramatici partem, cui epitasis et protasis antecedunt¹⁹. Ad hoc igitur pertinent quae Aemilius Springhetti eo modo demonstravit scribens: "Cumque interdum vocabula ipsa vernacula ex latina derivata, non iam nativum habeant sensus, sed novum plus minus antiquo immutatum"²⁰, et paulo infra: "cum saepe vernaculae voces recentes verbum quidem latinum referant, at significatione serioribus saeculis prorsus immutata"²¹.

Sed ulterius pergamus. En habes Francogallicam versionem, in qua hymni prima stropa hoc modo reddita est:

Retirez-vous du ciel, astre des nuits
Soleil épouvanté, précipitez votre course;

¹⁶ <https://myuecc.org/divinum-officium-website-master/web/cgi-bin/horas/Pofficium.pl?date1=9-15-2023&command=prayVespera&version=Rubrics%201960&testmode=regular&lang2=Italiano&votive=>

¹⁷ https://www.grandidizionari.it/Dizionario_Italiano/parola/C/catastrofe.aspx?query=catastrofe (aditus 10.01.2025).

¹⁸ *Repertorio gregoriano para domingos, fiestas y preceptos. Forma extraordinaria de rito romano*, Schola laudate Dominum, Una voce Sevilla, p. 95.

¹⁹ Cf. *Real Academia Española, Diccionario de la lengua española*, in: <https://dle.rae.es/cat%C3%A1strofe?m=form> (aditus 10.01.2025).

²⁰ Ae. Springhetti, *Institutiones stili latini*, Romae 1954, p. 136.

²¹ Springhetti, *Institutiones stili latini*, p. 140.

Je rappelle les hontes d’une mort barbare,
Le supplice d’un Dieu²².

Profecto Francogallica dictio *mort barbare* mortem barbaram, saevam, feramque significat, dictio autem *supplice d’un Dieu*, loco Latinae vocis *catastrophes* posita, supplicium Dei. Haec quidem significatio, ut manifestum est, ad poenam capitalem aut quamcumque graviorem animadversionem vel cruciatum decurrit.

In Germanica quam infra habes versione mentem nostram ad dictionem *blutigen Gottesmord* convertamus oportet, quae in Latino sermone cruentam caedem Dei significat.

Abend, senke dich rasch nieder in Finsternis!
Sonne, stürze den Tag jäh an den tiefsten Ort,
Da wir schauen das Bild furchtbar und voll Graus
Von dem blutigen Gottesmord²³.

Ad omnia quae adhuc diximus addenda est Vasconica hymni interpretatio, cuius brevissimum fragmentum quadam in commentatione quasi fortasse invenimus:

Doala zerutik iges atsaldea.
Eguzkiak buka dezala eguna
Jainkoaren heriotze latza
guk oroitu bitartean (...) ²⁴.

In ea qua Vasconiae Cispyrenaicae in Regno Hispaniae sitae incolae loquuntur lingua, *heriotze* dictio significat mortem, dictio *latza* autem congruit Latinis adiectivis *saevus*, *crudelis*, *ferus*.

²² M. Danielou, *Vendredi de la Passion*, in: <https://claves.org/podcast/vendredi-de-la-passion/> et: [https://www.divinumofficium.com/cgi-bin/horas/Pofficium.pl?date1=09-27-2014&command=prayVesperae&version=Tridentine%20-%201888&testmode=regular&lang2=Francais&votive=\(auctor ignotus\)](https://www.divinumofficium.com/cgi-bin/horas/Pofficium.pl?date1=09-27-2014&command=prayVesperae&version=Tridentine%20-%201888&testmode=regular&lang2=Francais&votive=(auctor%20ignotus)).

²³ *Septem dolorum Beatae Mariae Virginis (ad vespas)*, <https://www.divinumofficium.com/cgi-bin/horas/Pofficium.pl?date1=09-14-2022&command=prayVesperae&version=Divino%20Afflatu%20-%201954&testmode=regular&lang2=Deutsch&votive=>

²⁴ Cf. P. Sudupe, *Andima Ibiñagabeitia (1906-1967)*, in: <https://jakin.eus/show/57cd3d8389d983dc7387a611a203f142cc4df8ad> (aditus 10.01.2025).

Postremo habes hic versionem Polonice exaratam, pulcherrimo quidem stilo compositam atque iucundo, quae tamen, ut perspicue apparet, solummodo paraphrasis est nuncupanda.

Już całun mroków na niebie zwiśł całem
I trwożne słońce zagasło w błękicie,
Gdy wśród urągań, mąk znękan nawałem
Oddawał świata Król życie...²⁵.

His expositis veterrimam earum, quas supra adiunximus, versionum, hanc saeculo duodevicesimo Madriti typis editam exstare conspiciamus, deinde eam, quam libro suo versionem poeticam hymnorum Ecclesiae complectenti et ineunte saeculo undevicesimo factam, ut iam dictum est, auctor inseruit atque Victori Emmanueli, serenissimo tunc regi Sardiniae, obtulit et dedicavit. Cum plures vero vernaculae, quas protulimus, versiones ad nostram iam attingant aetatem, deliberandum est quo modo novis temporibus Latina, sed et profecto Graeca, vox *catastrophes* in vernaculis linguis pristinam significationem suam variaverit mutaveritque.

3. De antiquiore vocis *catastrophes* significatione eiusque recentioribus temporibus usu

Quae quidem vox tum patribus sanctis, tum scriptoribus medii quod dicitur aevi paene ignota vel, ut melius dicatur, minime illis fuit usurpata, dum Desiderius Erasmus, qui saeculo quinto et sexto decimo floruit, in Adagiorum libro haec scripsit: “Porro fabula omnis, ut ostendit Donatus, in treis partes distribuitur (...). Protasis est primus ille tumultus iam quasi gliscens, epitasis turba fervidissima, catastrophe subita rerum commutatio. Unde Lucianus eleganter exitum eventumque negotii catastrophem appellat”²⁶.

Haec Erasmania vocabuli *catastrophes* definitio, scilicet velut ad subitam rerum commutationem spectans, sequentibus saeculis usque ad primos saeculi undevicesimi decennios communiter viguit, sed huiusce vocabuli postea etiam, per ipsam vocem *strophe*, cum pristino usu litterario,

²⁵ *Hymny kościelne*, tr. T. Karyłowski, Kraków 1932, p. 210; ed. 2, red. M. Korolko, Warszawa 1978, p. 189.

²⁶ Desiderius Erasmus Roterodamus, *Adagiorum chiliades quatuor cum sesquicenturia*, Chil. I, cent. II, 36.

coniunctio amplius perduravit, quod optimis in lexicis, in quibus voces ex Graecis litteris excerptae sunt, in eo quoque, verbi causa, quod vulgo Liddell-Scott dicitur, saepe ita est declaratum: primum *overturning*, postea *end*, *close*, *conclusion*, denique *ruin*, *undoing*²⁷. Lexicon studio Aegidii Forcellini, qui vir doctus eadem ac Callixtus Palombella aetate vixit lucubratum, vocis *catastrophes* Desiderio Erasmo cognitam significationem testatur, nam legimus haec:

Catastrophe, es, f. 1. subversio, item exitus: a *katastrepho*, *subverto*, item *claudio* (...).

Translate extrema pars fabulae *catastrophe* dicitur, quod in ea res turbulentae in laetum exitum convertantur, ut in comoediis, aut contra res laetae sortiantur tristem exitum, ut in tragoediis²⁸. Quod idem iam comprobatum erat in linguae et eruditionis Romanae thesauro, Ioanne Matthia Gesnero auctore edito eodemque tempore typis excuso²⁹. Id tamen vocabulum septimo et decimo exeunte saeculo in lingua Francogallica, ex qua scilicet ea ipsius significatio ad alias etiam linguas pariter translata est, infelicem eventum paulatim significare coepit³⁰. Magnum lexicon saeculi undevicesimi, Petro Larousse auctore, sexto decennio eiusdem saeculi editum, vulgo *Le Grand Dictionnaire universel du XIXe siècle* dictum, in sermone et litteris Francogallicis (quod maximi est momenti) illam latiore vocis *catastrophe* significationem notavit³¹. Id ipsum quoque dicendum est de alio lexico Graeco-Francogallico, posteriore tempore edito, in quo vocabulum *katastrophē* significat quae sequuntur: *renversement*, *bouleversement*, *denouement de la vie*, *mort particulièrement dans un drame*³², eversionem scilicet, conversionem, exitum vitae, mortem praesertim in poemate dramatico. Haud itaque abs re fuerit intendere animum ad significantiam Italici vocabuli *catastrofe* a Nicolao

²⁷ H.G. Liddell – R. Scott, *A Greek-English Lexicon*, Oxonii 1901, p. 775.

²⁸ *Totius Latinitatis lexicon, consilio et cura Jacobi Facciolati opera et studio Aegidii Forcellini, lucubratum*, Patavii 1771.

²⁹ Jo. Matthi. Gesneri *Novus linguae et eruditionis Romanae thesaurus*, t. 1, Lipsiae, 1749, p. 796.

³⁰ Cf. M. Bieńczyk, *Katastrofy i wypadki w czasach romantyków*, Warszawa 2017, p. 27-38.

³¹ Cf. P. Larousse, *Le Grand Dictionnaire universel du XIXe siècle en 15 volumes 1866-1876*, t. 3, Paris 1867, p. 560.

³² Cf. A. Bailly, *Dictionnaire grec-français, rédigé avec le concours d. E. Egger*, Parisiis 1950, p. 1055.

Tommaseo, illustri scriptore linguarumque perito et Bernardo Bellini in lexico anno millesimo octingentesimo sexagesimo primo iterumque anno millesimo octingentesimo sexagesimo quinto edito³³ (quod nunc quidem in interreti perfacile invenies), clare confirmatam. Primo in loco dicitur de rerum cursu sive de eventu, in quo drama in suum volvitur finem, ultimo autem loco de magnis eversionibus naturae, verbi gratia de diluviis vel motibus terrae. Attamen post annos centum, qui a morte Palombellae transierunt, illa recentior vocis *katastrofe* significatio veluti abusus adhuc prohibebatur³⁴. Postremo quoque addendum est lexicon Latino-Polonicum a Mariano Plezia, viro doctissimo compositum, in quo ipsae eadem, de quibus supra diximus, significationes vocis *catastrophes* inveniri possunt³⁵. Itaque, ut generatim ac summatim dicamus, verbum Graecum *katastrepho* et nomen substantivum *katastrophē* significant eversionem, exitum, conclusionem, quorum vis et sensus attinent ad id, quod periculum discrimenque ultimum potest nuncupari³⁶.

4. Quid sit *divina catastrophe*

Age vero, interrogemus nunc, quid animo voverit poeta inserens hymno vocem *divinae catastrophes*. Certo exploratum habemus, quod utique iam supra demonstravimus, hancce vocem, ea qua Callixtus Palombella aetate vitam agebat, subitam rerum commutationem et eversionem haud dubie significasse; postea demum, saltem aliquot istius saeculi decenniis vel etiam integro saeculo elapso, pluras significationes complecti coepisse sensumque eius evasisse latiore. Igitur eae vocis *catastrophes*, quibus varii interpretes, plerumque anonymi, in recentibus versionibus hymni usi sunt, significationes, quaeque, causa verbi, aut supplicium aut passio Dei aut dirum dedecus aut caedes Dei reddi Latine

³³ *Dizionario della lingua italiana nuovamente compilato dai signori Nicolò Tommaseo e Bernardo Bellini*, Torino 1865.

³⁴ <https://www.tommaseobellini.it/#/items/313>: „Quell’avvenimento in cui il dramma volge alla fine (...). Anco i grandi rivolgimenti della natura, secondo l’orig. e l’uso, così si chiamano. E i terremoti, e i vulcani, e le inondazioni sono etimologicamente catastrofi. Ma non è da abusare di questo vocabolo; come nè degli altri, che troppo sanno e di letterato e di greco”.

³⁵ *Słownik łacińsko-polski*, t. 1: A-C, ed. M. Plezia, Warszawa 2007, p. 456.

³⁶ Cf. S. Margel, *Le Grand Déluge*, in: *Scénario catastrophe*, ed. C. Delécraz – L. Durussel, Genève 2007, p. 79.

possint nec rectae mihi esse videntur neque, ut egomet opinor, poeta in hymno ad usum liturgicum composito novata significatione antiquae vocis *catastrophes* uti potuit, immo prorsus existimo istiusmodi genus litterarium cultum apparatusque quendam verborum postulavisse, quo – ut Aemilius Springhetti docuit – res non modo placet, sed ad omnem etiam usum egregie esset instructa³⁷.

Quid est ergo divina catastrophe? Haud eo modo, mea quidem sententia, tertius quartusque versus primae strophae hymni inter se coniunguntur, quo uterque, alter scilicet post alterum sequens, solummodo eundem sensum contineatur atque exprimat, quasi voces *saevae ludibrii necis* et *divinae catastrophes* id ipsum significant; sed, ut opinor, copula *que* adiectivo *divinam* addita aliam hic significationem habet. Quandoquidem *que* indicat id quod additur, ex praecedenti consecrarium esse, vel etiam, copula *que* similiter ac *et* complet perficitque id quod praecedit, significans *et pariter, et eodem tempore, et insuper*, aliquando etiam usurpatur ad duas actiones inter se coniungendas, cum aliquid maxima vi et asseveratione effertur, significans *et re vera, et reapse* etc. Ne quidem *divina catastrophe* id ipsum est ac *saevae ludibrium necis*. In iniquo infestoque, quod Filium Dei dedecebat, ludibrio, facta est quasi totius ordinis eversio, quam metaphorae in primo et secundo versu adhibitae demonstrant. Namque legimus: *Iam toto subitus vesper eat polo,/ Et sol attonitum praecipitet diem*. Haec certe verba, si ita dici potest, quasi echo referunt obscuratum solem, tenebras tribus horis Domino moriente factas, terram motam petrasque scissas, quae sacri scriptores in evangeliorum depinxerunt libris. Illa autem ordinis eversio est subita rerum commutatio, re vera igitur divina catastrophe est. Cuius quidem vim theologicam, verbi gratia, ille versiculus: *Mors et vita duello conflixere mirando*³⁸, vel illi: *vita mortem pertulit/ et morte vitam reddidit*³⁹, ex aliis sacris carminibus deprompti, poetice depingunt.

³⁷ Cf. Springhetti, *Institutiones stili latini*, p. 205.

³⁸ *Victimae paschali laudes (In Resurrectione Domini)*, in: *Analecta hymnica medii aevi*, t. 54, ed. C. Blume – H.M. Bannister, Leipzig 1915, p. 12-13.

³⁹ Venantius Fortunatus, *Hymnus in honore sanctae crucis (Carmina II 6; inc. Vexilla regis prodeunt)*, in: Venance Fortunat, *Poèmes*, t. 1/1-4, tr. M. Reydellet, Paris 2002, p. 57-58.

Bibliographia seu index librorum et commentationum quas inspexi

Fontes latini

- Palombella C., *Hymnus Iam toto subitus vesper eat polo*, in: *Breviarium Romanum ex decreto SS. Concilii Tridentini restitutum Summorum Pontificum cura recognitum cum textu psalmorum e versione Pii Pp. XII auctoritate edita totum. Editio typica*, Typis Polyglottis Vaticanis 1961, p. 1180-1181, in: <http://hymnarium.de/hymni-breviarii/hymnen/proprium-sanctorum/334-iam-toto-subitus> (aditus 10.01.2025).
- Palombella C., *Hymnus O quot undis lacrimarum*, in: <http://www.hymnarium.de/hymni-breviarii/hymnen/proprium-sanctorum/335-o-quot-undis> (aditus 10.01.2025).
- Palombella C., *De S. Juliana Falconeria Virgine Florentina Tertii Ordinis Servorum B.M.V. Fundatrice Oratio Romae habita in Templo S. Marcelli XIII Kal. Iulias anno 1738 ad Eminentissimos, ac Reverendissimos S.R.E. Cardinales a F. Callisto Maria Palombella, sacrae theologiae magistro, Ordinis Servorum ejusdem B.M.V. Procuratore Generali necnon S. Rituum Congregationis Consultore*, Romae 1738.
- Desiderius Erasmus Roterodamus, *Adagiorum chiliades quatuor cum sesquicenturia*, Oliva Roberti Stephani 1558.
- Venantius Fortunatus, *Hymnus in honore sanctae crucis (Carmina II 6; inc. Vexilla regis prodeunt)*, in: Venance Fortunat, *Poèmes*, t. 1/1-4, tr. M. Reydellet, Paris 2002, p. 57-58.
- [Wipo Burgundiensis], *Victimae paschali laudes (In Resurrectione Domini)*, in: *Analec-ta hymnica medii aevi*, t. 54, ed. C. Blume – H.M. Bannister, Leipzig 1915, p. 12-13.

Textus in recentiores linguas conversi

- Danielou M., *Vendredi de la Passion*, <https://claves.org/podcast/vendredi-de-la-passion> (aditus 10.01.2025).
- Giulio G.D., *Alla maestà di Vittorio Emanuele Re di Sardegna versione poetica di tutti gl'inni della Chiesa secondo il Breviario Romano, di alcune antifone della SS. Vergine, delle quattro sequenze della messa coll'inno Gloria in excelsis Deo*, Torino 1816.
- Hymny kościelne*, tr. T. Karyłowski, Kraków 1932, s. 210; ed. 2, red. M. Korolko, Warszawa 1978, p. 189.
- Poesia sagrada: himnos del breviario romano traducidos al idioma español en rigurosa consonancia por D. Juan Baptista Sorazabal...; añadese el Ritmo de Santo Thomás de Aquino a la sagrada eucaristia, y la Oracion del Papa Urbano VIII, para la ac-cion de gracias despues de haberla recibido*, Madrid 1777.
- Repertorio gregoriano para domingos, fiestas y preceptos. Forma extraordinaria de rito romano*, Schola laudate Dominum, p. 94-95, in: <http://www.unavocesevilla.com/>

wp-content/uploads/2020/03/REPERTORIO-CANTOS-GREGORIANOS-SCHOLA-LAUDATE-DOMINUM-UVS.Mar20.pdf (aditus 10.01.2025).

Septem dolorum Beatae Mariae Virginis (vespera), <https://myuecc.org/divinum-officium-website-master/web/cgi-bin/horas/Pofficium.pl?date1=9-15-2023&command=prayVespera&version=Rubrics%201960&testmode=regular&lang2=Italiano&votive=> (aditus 10.01.2025).

Septem dolorum Beatae Mariae Virginis (ad vespas), <https://www.divinumofficium.com/cgi-bin/horas/Pofficium.pl?date1=09-14-2022&command=prayVesperae&version=Divino%20Afflatu%20-%201954&testmode=regular&lang2=Deutsch&votive=> (aditus 10.01.2025).

Commentationes et lexica

- Bailly A., *Dictionnaire grec-français, rédigé avec le concours d. E. Egger*, Paris 1950.
- Bieńczyk M., *Katastrofy i wypadki w czasach romantyków*, Warszawa 2017.
- Breza E., *Epitety NMP w „Hymnach kościelnych”*, in: *Język komunikacji*, Nr 2, red. G. Majkowski, Częstochowa 2012, p. 15-34.
- Breza E., *Syn Boży w hymnach kościelnych*, „Język-Szkoła-Religia” 8/2 (2013) p. 20-45.
- Breza E., *Trójca Święta w Hymnach kościelnych i w pieśniach kościelnych*, „Poznańskie Studia Teologiczne. Seria Językoznawcza” 20/2 (2013) p. 73-83.
- Danielski W., *Hymny maryjne dawne i współczesne w odnowionej Liturgii Godzin*, „Roczniki Teologiczno-Kanoniczne” 26 (1979) p. 63-74.
- Diccionario de la lengua española*, <https://dle.rae.es/cat%C3%A1strofe?m=form> (aditus 10.01.2025).
- Dizionario della lingua italiana nuovamente compilato dai signori Nicolò Tommaseo e Bernardo Bellini*, Torino 1865.
- Enchiridion liturgicum complectens theologiae sacramentalis et dogmata et leges iuxta novum codicem rubricarum*, t. 2, ed. P. Rado, Romae Friburgi Brisg. Barcinone 1961.
- Jo. Matthi. Gesneri Novus linguae et eruditionis Romanae thesaurus*, t. 1, Lipsiae 1749.
- Kotyński L., *Metryka hymnów brewiarzowych*, „Ruch Biblijny i Liturgiczny” 11/4 (1958) p. 312-313.
- Larousse P., *Le Grand Dictionnaire universel du XIXe siècle en 15 volumes 1866-1876*, t. 3, Paris 1867.
- Liddell H.G. – Scott R., *A Greek-English Lexicon. revised and augmented throughout by Sir Henry Stuart Jones with the assistance of Roderick McKenzie*, Oxonii 1901.
- Lyra Catholica: containing all the hymns of the Roman breviary and missal, with others from various sources*, tr. E. Caswall, Novi Eboraci 1851, p. 218-219.
- Margel S., *Le Grand Déluge*, in: *Scénario catastrophe*, ed. C. Delécraz – L. Durussel, Genève 2007, p. 75-95.
- Słownik łacińsko-polski*, t. 1: A-C, ed. M. Plezia, Warszawa 2007.
- Springhetti Ae., *Institutiones stili latini*, Romae 1954.

The Hymns of the Breviary and Missal, ed. M. Britt, O.S.B. Novi Eboraci 1922, p. 286-287.

Totius Latinitatis lexicon, consilio et cura Jacobi Facciolati opera et studio Aegidii Forcellini, lucubratum, Patavii 1771.

Paginae retiales in scribendo adhibitae

Archivio capitolare della cattedrale – Sezze, Crotonotassi episcopale, in: <https://www.gentedituscia.it/palombella-callisto-maria/http://www.archiviosezze.it/cronotassi.php> (aditus 10.01.2025).

Bishop Callisto Maria (Vincenzo Antonio) Palombella, O.S.M. †, in: <https://www.catholic-hierarchy.org/bishop/bpalomb.html> (aditus 10.01.2025).

Catastrofe, G. Aldo, *Grande Dizionario Italiano*; in: https://www.grandidizionari.it/Dizionario_Italiano/parola/C/catastrofe.aspx?query=catastrofe (aditus 10.01.2025).

Catastrofe, *Tommaseo Online*, in: <https://www.tommaseobellini.it/#/items/313> (aditus 10.01.2025).

Catastrophe, in: <https://www.dictionary.com/browse/catastrophe> (aditus 10.01.2025).
<https://pl.glosbe.com/eu/pl/latza> (aditus 10.01.2025).

Iam Toto Subitus Vesper, in: <https://www.encyclopedia.com/religion/encyclopedias-almanacs-transcripts-and-maps/iam-toto-subitus-vesper> (aditus 10.01.2025).

Iam toto subitus, in: <https://www.cathcorn.org/hotbam/131.html> (aditus 10.01.2025).

Sudupe P., *Andima Ibiñagabeitia (1906-1967)*, in: <https://jakin.eus/show/57cd3d8389d-983dc7387a611a203f142cc4df8ad> (aditus 10.01.2025).